



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput IV. Idem Venerabilibus fratribus a Archiepiscopis, ad quos litteræ
istæ pervenerint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

Excommunicatos.] Cum quibus etiam communicare exempli non possunt, ut dicemus infra in cap. nulli. de sent. excom.

f. Interdictos.] Alias exempli etiam non servantes interdictum graviter peccant, & puniuntur, ut probavi in cap. fin. de excess. Pralat.

g. Praesentem.] Juxta tradita in cap. 1. de statu monach. cap. 1. de capel. monach.

h. De confratribus.] Ordo Hierosolymitanus ultra Equites, fratres, & cappellanos, habet etiam confratres deferentes mediam crucem albam, quam vocant Tau, qui statutis ipsius Ordinis donati quoque appellantur: ut admittantur in Ordine, debent probare se natalibus honestis esse procreatos, & à Judæis, aut Mahometanis non ducere originem, probè, ac non flagitiosè vixisse, nullam per seipsum exercuisse artem sordidam, vel mechanicam; & præterea tenentur aliquam partem bonorum suorum ipsi Ordini offerre, & ita admitti signum donatorum vestibus insutum publicè deferre, ut cavetur in statutis ipsius Ordinis, tit. 2. num. 30. cum sequent. de quibus plura Petrus Gregorius lib. 15. synag. cap. 34. num. 8. Mendo de Ordinib. Milit. disquisit. 2. quest. 1. num. 14. D. Ferdinand. de Scanno in propugnac. religionis Hierosolym. discept. 4. cap. 2. Illi verò non sunt religiosi, ideoque testamentum facere possunt, ut probat idem Scanno discept. 9. cap. 5. num. 57. nec amittunt beneficia sæcularia per ingressum in ipso

Ordine, ut probat idem Scanno discept. 11. cap. 2. num. 31. à collectis immunes non sunt; idem Scanno discept. 12. cap. 2. num. 4. officia sæcularia habere possunt, idem discept. 13. cap. 5. num. 27. Circa exemptionem autem eorum, & privilegium fori Aloysius Riccius tom. 4. resol. 177. num. 3. Thomas Delbene de immunit. Eccles. tom. 1. cap. 1. dub. 11. sect. 2. num. 12. existimantur, similes confratres privilegio fori gaudere, ideoque puniendos esse à Magno Magistro ipsius Ordinis. Sed contraria sententia communior, & receptor est, quia confratres hi merè sæculares sunt, cum non emittant tria vota substantialia religionis, & ita privilegia regularia illis non conveniunt. Concil. Trident. sess. 24. de regul. cap. 11. quæ doctrina apertè probatur ex hoc textu, & conformis est constitutioni Pontificiæ Gregorii XIII. in Bulla quæ incipit, *Circumspecta*, edita die xxv. Novemb. anno 1580. & docuerunt Carleval. de judiciis lib. 1. tit. 1. disput. 2. num. 455. Mendo de Ordin. Militar. disquisit. 2. quest. 2. num. 84. Narbona in l. 8. tit. 5. Glossa unice. lib. 1. recopil. Azevedo in l. 1. num. 11. tit. 14. lib. 5. recopil. Bobadilla lib. 2. polit. cap. 18. num. 231. Gurburba consil. 21. Diana part. 3. tract. 1. resol. 51. Hieronymus Garcia tom. 1. polit. regular. tract. 1. difficult. 5. dub. 4. punct. 2. Pellizarius tom. 1. manual. regul. tract. 1. cap. 3. num. 27. Scanno in propugnac. discept. 13. cap. 2. num. 24.

CAPUT IV.

Idem Venerabilibus fratribus ^a Archiepiscopis, ad quos litteræ istæ pervenerint.

Dilecti filii nostri fratres Hospitalis Hierosolymitani transmissa nobis conquestione monstrarunt, quod vos eisdem de ^b malefactoribus suis justitiam facere non vultis, privilegia ipsorum inspicere contemnitis, nec ipsos elemosynas quærere in vestris parochiis, aut fratres ipsorum ^c sepelire aliquatenus permittitis. Quoniam igitur iidem fratres multis sunt libertatibus, & ^d privilegiis à Romanis Pontificibus præmuniti, quæ ut nostris temporibus infringantur, nolimus sustinere: f. v. per A. f. m. quat. jam dictis fratribus in iis, quæ sibi à Romana Ecclesia noscuntur indulta fuisse, nullam profus molestiam faciatis, nec ea sibi contradicere, vel negare aliquatenus attentetis. Si enim de vobis in veritate talia de cætero poterimus comperire, pro certo sciatis, quod non concessa privilegia decurtabimus, cum nostris, & Ecclesiæ Romanæ scriptis authenticis obviare minime timeatis.

NOTÆ.

1. ^a *Archiepiscopis.*] Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 4. in hac verò sexta additur, & *Episcopis.* Et rectè, quia cum eis occurrunt frequenter conquestiones, de quibus in præfenti agitur.

2. ^b *Malefactoribus.*] Quæ conquestio cessavit postquam ipsi Hierosolymitani privilegium adepti fuerunt nominandi judicem conservatorem, quod concesserunt Pius IV. Clemens VII. Gre-

gorius XIII. Urbanus VIII. in bullis relatis ab Scanno in propugnac. discept. 15. cap. 1. ubi de jurisdictione Conservatoris latè agit, & in quibus causis cognoscere possit.

^c *Sepelire.*] Postea verò privilegium adepti fuerunt, ut non solum ipsi in propriis Ecclesiis, verum & alii, qui in ipsorum Ecclesiis sepulturam eligunt, possint tumulari, cap. in nostra, de sepultur. ubi probavi.

^d *Privilegiis.*] Quorum epitomen tradit Scanno in dict. propugnaculo, discept. 16. per tot.